

V I R O
 NOBILISSIMO ATQUE ERVDITISSIMO,
 DOMINO
 IOANNI CASPA-
 RO Krause/
 ROSVVEINENSI MISNICO,
 Amico suo Coniun-
 ctissimo,
 PHILOSOPHIAE DOCTORI
 RECENS CREATO,

S. P. D.
 M. IOANNES ADAMVS CALO,
 BELGERA - MISNICVS, SS. TH. C.



WITTEBERGAE,
 TYPIS MARTINI SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.





PAUCOS recte fatisque pruden-
 ter philosophari, vel ipsa experientia
 edocemur. Multos audire, legere, interdū
 quoque imitari licet, plurimi tamen uni-
 cum modo sibi eligunt doctorem, quem pro duce ha-
 bent, eumque principem et auctorem sequuntur, ac si-
 bi adeo religioni ducunt, ab ejus opinionibus placitis-
 que vel latum discedere unguem, ceteros vero omnes
 cujuscunque etiam ingenii sint atque eruditionis, sper-
 nere omnino et contemnere non verentur. Haud igitur
 mirum est, si de rebus arduis acriter nimis disputa-
 nt alii, alii splendore verborum et ornatu se dele-
 ctantes, pro vero fucum venditant, aut prorsus E-
 picureorum more ad voluptates et vitae proterviam
 delabuntur. At enim vero hanc philosophandi ra-
 tionem maxime esse improbandam, jam olim, teste,
 Diogene Laertio, existimavit Potamo, philosophus
 Alexandrinus, quando ex omnibus optima eligenda
 putabat, scholamque, quam *ἐκλεπτική* appellamus, in-
 stituebat. Neque ab hoc dissentire videtur anti-
 quisimus Christianorum doctor, Clemens Alexan-
 drinus, qui Philosophiam nec dicendam esse Stoi-
 cam, nec Platonicam, Epicuream aut Aristotelicam,
 sed quae in his sectis recte dicta sunt, ea selecta, et
 a falsis separata, dicendam esse Philosophiam, arbitra-
 tur. Lib. 1. Stromatum. Quod cum ita sit, Cicero
 minime Philosophum appellare voluit illum, qui uni
 e qua-

e quatuor sectis jam commemoratis nomen dedit, sed qui veritatem causasque inquit rerum, et earum momenta expendit, rectam denique vivendi rationem sectatur. Illud extremum, Amice Conjunctissime, Tibi consilio sane non imprudenti faciendum, censuisti. Non unum legebas librum, neque unum audiebas doctorem, sed multos, ex quibus optima naviter seduloque elegisti. Quare in studio sapientiae, quod summa semper industria excoluisti, progressus fecisti longe felicissimos. Artem subtiliter disputandi percalles, salutarem vitae prudenter instituendae doctrinam Tibi comparasti, accuratam rerum naturalium scientiam scrutaris, neque artium Mathematicarum es ignarus. Aditum autem ad haec ornamenta Tibi muniebant, non illae tantum vulgares, quas ab natura acceperas, dotes, verum etiam Latinae linguae cognitio, quam cum Graeci, Ebraei, Chaldaici atque Syriaci sermonis studio in Schola Torgaviensi conjungebas. Proponebas Tibi ad exemplum natos, Viros auctoritate et doctrina gravissimos, REINHARDOS, KRAVSIOS aliosque Tibi cognatione devinctos. Hi, inquam, ad majorem industriae contentionem Te poterant incitare. Otium, quod ingenii vim debilitat, summopere fugiebas. Versabaris in doctorum hominum frequentissima celebritate, eorumque oculis et conspectui Te offerebas. Nihil agebas, quod vitae tuae non erat aptis-

aptissimum, voluptates comestionesque cum So-
crate sapienti vitandas, homineque ingenuo et li-
berali maxime indignas, ducebas, et ut multa pau-
cis complectar, eo annitebaris, ut Te talem prae-
stares, qualem Te futurum jam diu et Amici Tui,
et optimi quique speraverunt. Quo sane modo ef-
fecisti, ut merito hodiernus dies tuas in publicum
proferat laudes atque virtutes, et Te novis ornet
honoribus mirifice. De qua splendida tum honoris,
tum dignitatis Tuae accessione, pro ea, quae inter
nos multis abhinc annis viguit, amicitia, Tibi ma-
ximopere gratulor, vehementerque gaudeo, nul-
lus dubitans, quin hoc ornamento auctus magis
magisque exciteris, et primo quoque tempore in
lucem prodeas, eaque doctrinae des specimina,
quae multi abs Te dudum expectant, et tuam in-
genii ubertatem eruditionisque praestantiam satis
testantur. Quo autem huic facere satis expecta-
tioni possis, Deum immortalem precor religiosis-
sime, ut Te, Amice Coniunctissime, in futurum
patriae commodum salvum florentemque servet
quamdiutissime, atque eam, quam adeptus es lau-
rum florentem semper viridemque esse jubeat, et
ruum decus ita et honorum incrementa clemen-
ter augere velit. Vale mihi que favere constan-
ter perge. Dabam Vitembergae Saxonum

D. XVII. Kal. Octobr. cis 15 ccv.



Ung VI 3

W 18
V 17



V I R O
ATQUE ERVDITISSIMO,
M I N O
N I C A S P A -

Krause

N E N S I M I S N I C O,
f u o C o n i u n -
i s s i m o,

H I A E D O C T O R I
N S C R E A T O,

S . P . D .
A D A M V S C A L O,
M I S N I C V S , S S . T H . C .

T T E B E R G A E ,
S C H V L Z I L , A C A D . T Y P O G R .

